



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.  
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensiſ Princeps ||  
Elector, &c.**

**Gelenius, Aegidius**

**Coloniae Agrippinae, 1633**

Notatio ad Caput Quintum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9728**

Matth. 5.  
Abbas à  
quartana  
liberatur.

**E**ODEM tempore Ioannes Abbas S. Trudonis, quartana diu & gra-  
uiter conflictatus, audit miracula ENGELBERTI, laudat Deum mira-  
bilem in gloria eius: moxque in mentem ei venit, fuisse hominem PA-  
CIFICVM & misericordē: porrò beatos esse PACIFICOS & misericordes.  
Inuocat ergò Deum, orat vt per eius merita sibi opituletur: & confe-  
ssim se lætatur in seipso experiri, quanti sit apud Deum meriti beatus  
ENGELBERTVS, sanum se sentiens.

### Notatio ad Caput Quintum.

Ioannes  
Sanctēsis.

Sancti  
oppidum.

**D**E Abbate Ioanne Sanctensi, qui  
nomen suum est mutuatus ab  
vrbe Sanctensi, in cuius Ecclesiæ in-  
troitu legitur: AD SANCTOS  
MARTYRES, vnde vrbs Sancten-  
sis nomen teste Pigio accepit: Cæsa-  
rius lib. 30. dialog. c. 21. 6. dialog. c. 3.  
lib. 7. dial. cap. 24. & lib. 1. vitæ S. EN-  
GELBERTI cap. 2. & 7. meminit &  
Petrus Beeck in suo Aquisgrano c. 2.  
Notationem de ipso huc reieci. Fuit  
vir eruditus, passim enim magister au-  
diit. Idem ille anno 1222. ex Decano  
B. M. V. Aquisgranensis in Abbatem  
S. Trudonis diœcesis Leodiensis po-  
stulatus est, & per Legatum sedis A-  
postolicæ creatus. Eodem ipse anno  
Legati Apostolici Episcopi Portuensis Cardinalis S. Rufinæ  
iussu monasteriorum Stabulaus, & Malmundariensis tum ca-  
pita, tum singula membra visitauit. Quin & in Prælatorum  
Tuitiensium Cathalogo decimus nonus Heribertinus Præ-  
ses numeratur Brunonem inter & Henricum Abbates. Vn-  
de duobus præfecto monasterijs à dicto Legato concessa est  
legis



legis & canonum vacatio seu dispensatio quam S. Trudonis exhibent tabularia: *Dilecto in Christo Ioanni Abbati S. Trudonis salutem in Christo Iesu. Licet salubriter in sacris Canonibus sit statutum, ut singulis personis singula officia committantur. frequenter tamen Personarum consideratis & locorum qualitatibus ac circumstantijs, plures Ecclesie conceduntur vni personæ de gratia speciali: Hinc est quod cum Abbatiam Tuitiensem S. Heriberti tibi commiserimus, ne monasterium S. Trudonis ex Nostra commissione iacturam in spiritualibus, vel temporalibus patiatur tibi legationis qua fungimur auctoritate indulgemus, ut Abbas Tuitiensis existens S. Trudonis remaneas, ut utrumque monasterium & eorum personas auctoritate presentis indulgentie, tanquam proprius Abbas regas & plenam curam eorum habeas in temporalibus & spiritualibus ministrandis.*

Dispensatio  
verus  
de duabus  
dignitatib,

Hoc illi in vita S. Geluci lib. 1. c. 10. elogium datur: *Vir Reuerendissimus & magna in Christi Ecclesia glorie Magister Ioannes Sanctensis fidelis verbi crucis dispensator & moderna expeditionis Hierosolymitana studiosus coadiutor: ]* Vnde colligas quam illustre sit Ioannis Abbatis de iam enarrato miraculo ac virtute B. ENGELBERTI testimonium. Obijt ipse Abbas anno 1228. decimo Kalend. Octob.

## Caput Sextum.

*De Paralytica restituta.*

**M**VLIER diu paralytica, eius nomen appellans, curata est.

## Notatio ad Caput Sextum.

**M**Anuscriptus addit: *In recordationem miraculi, quibus nitebatur baculos obtulit.* Reliqua Surianæ editioni consonant.

Caput